

*ationum  
spec.*



DE ORIGINE  
HISTORIAE CREATIONIS, QVAM MOSES DEDIT  
OBSERVATIONES EXHIBET SELECTAS

AC SIM VL

VIRO

EXPERIENTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO

IOANNI NICOLAO  
WEISSIO

PROFESSORI MEDICO PRIMARIO  
IN LITTERARVM UNIVERSITATE ALTORFINA  
EIVSDEMQUE

SENIORI

LONGE MERITISSIMO

POLIATRO ALTORFINO ET ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM SOCIO

SOCERO SVO VENERABILI

OB MVNVS PROFESSORIS ORDINARI<sup>I</sup>  
IN GRATIOSO MEDICORVM ORDINE ALTORFINO

PER

ANNOS QVINQVAGINTA

FELICITER GESTVM

D. VIIIIL OCTOB R. C I O C C L X X X I I

SOLEMNI RITV LAETANTI

PIE GRATVLATVR

D. IOANNES ANDREAS SIXTVS

SACR. LITT. PROF. PVBL. ORD. ECCLES. ALTORF. ARCHIDIAC.

ALTORFI, EX OFFICINA I. A. HESSELII, ACAD. TYPOGR.

S. R. D. D. Grie  
Conf. ecco



DE ORIGINE  
HISTORIAE CREATIONIS IN CAP. I. GENES.  
DELINEATAE  
OBSERVATIONES SELECTAE

**Q**uum TIBI, *Vir meritissime*, subinde volupe fuerit, mat-  
terias ad disciplinam sacram pertinentes diiudicare  
easque alicuius et grauioris momenti legere ac relegere, haud  
adeo alienum a TVO animo esse reputauit, antequam officii  
erga TE mei partes, quas praefens tam rara tamque augusta  
postulat caussa, exsoluerem, *quaedam de origine historiae crea-*  
*tionis a Mose descriptae, praefari, ex monumentis litterariis de-*  
*promta.*

Mosen, quae de creationis opere tradit, ex aliquo car-  
mine antiquo plane repetiisse, opinio est, quam genius nostri  
saeculi alit atque tuetur, quo iure autem quanamque praeua-  
lente coniectura? iam non discutere atque definire libet no-  
bis huius opinionis antiquorem memoriam reuocaturis, ad  
demonstrandum huius nostrae opellae exemplis: *Nihil sub sole*

nouum. Num quid est, de quo quis diceret: *Ecce hoc recens est? iam enim exsistit in saeculis, quae fuerunt ante nos?*)

Deprehendimus alios prisci acui, qui Mosen creationem narrantem aliunde subsidia petuisse statuebant. In promtu nobis est liber, eruditionem amplam quidem at vero etiam nimis curiosam, prodens ANDREAE LIBAVII, quondam Medicinae Doctoris et illustris Gymnasi Casimiriani Saxonici apud Coburgenses Directoris et Professoris\*\*) qui inscribitur: *De universitate et originibus rerum conditarum contemplatio singularis theologica et philosophica iuxta historiam hexaemeri Mosaici in Genesi propositam.* Francofurti ad Moenum. M. DC. X.

Continet hicce liber nonnulla, de quibus miror ab auctore, suo quippe aeuo, tuto potuisse palam fieri, continet que

<sup>\*)</sup> Kobel. I, 9. 10.

\*\*) Natus fuit Halae Saxonum circa finem saeculi decimi sexti. Institutus a IO. RICCIO, Ioannis filio, et IO. LADISLAO, abiit ad academiam Ienensem, vbi post impetratis Philos. et artis medicae Doctoris honores inde ab anno MDLXXXVIII, historicos et poetas interpretando lectio-nes habuit. Deinde autem A. MDLXXXI. Rotenburgum ad Tuba- rim se contulit ibidemque Gymnasi Inspectoris, exercitorum praefidis et Poliatri, suscepit partes. A. MDCVII. Coburgi munus Directoris Gymnasi, Professoris primarii et Inspectoris scholae oppidanae triuialis adiit, cui prouinciae magna cum laude praefuit ad A. MDCXVI. quo diem suum obiit supremum. Salutatur Theologus, Historieus, Poeta, Orator, Physicus et Medicus, vir omnibus Gymnasiarchae ornatus dotibus ingeniique ac studiorum eminentissimus saeculi fui. Conf. GOTTFRIED LUDWIG. *Ebre des Hochfürstlichen Casimiriani academicici in Coburg.* pp. 130 sqq.

que nonnulla liberalis eruditionis conspicua specimina, quibus nos iam non moramur. Tamquam ad scopum nostrum facientia iam tantum ea commemoramus, quae de origine narrationis Mosaicae de condito mundo statuebat, quaeque \*) sunt : „*Historiam mundi creati et optime et verissime recenset Moses, sive a patribus acceptum, sive immediate a Deo — — — A prioribus acceptam historiam esse, argumento potest esse, quod in disciplina Aegyptiorum et Chaldaeorum, in qua legimus eruditum fuisse Mosen, vestigia sint diuinæ traditionis; et quod non videatur ecclesia prima illud ipsum ignorasse, sic ut et caetera, quae gesta sunt ante Mosen, procul dubio in archiis Ebraeæ Ecclesiae sunt inuenta,*“

Conueniunt cum hac opinione ea, quae sub litteris M. C. E. latens auctor proposuit in peculiari scripto: *Vnuorgreifliche Gedanken von denen Meistern der Versammlungen über die Worte, Ecclesiast. XII, 11. Die Worte, der Weisen sind Spieße und Naegel, geschrieben durch die Meister der Versammlungen und von einem Hirten gegeben*\*\*) Suae coniecturae rationes ita subducit: **בָּעֵל אַסְפּוֹת** (Meister der Versammlungen) sunt doctores religionis curam agentes a Deo excitati, qui vocan-

A 3

tur

\*) p. 32. Sect. 4.

\*\*) prodit a. 1727. legiturquè eius epitome in der fortgesetzten Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen auf das Jahr 1727. pp. 107 sqq.

tur domini coetuum praeter alias caussas ab auctore allegatas etiam ob hanc, quoniam illorum erat, scripta *Georveus* et canoni addenda colligere. *Λογια της Θεου* a viris sanctis synagogae Iudaicae tradita saepe negligi solebant. Hinc Deus excitauerat prophetas, quos *מְנַחֵם* (Seher) nuncupabant, quibus se Deus per visiones manifestauit ac praecepit, vt de scriptis diuinis reuelatis dispicerent et, quae diuinum numen canoni in gratiam suae ecclesiae inferenda destinauerat, colligerent. Primus et reliquis praferendus huius generis vates Moses fuit Num. XII, 6. 7. 8. qui primus historiographus esse perhibetur, ast minus est credibile, viros sanctos ante et post diluvium, quibus se Deus praecepit reuelavit, scribendi peritos haud fuisse, hinc censendum est, eos suam ipsorum suorumque maiorum historiam inde ab incunabulis mundi *Georvesia* adiutos consignasse ac pro notitia suarum familiarum post se reliquisse. Eiusmodi litterarum monumenta Iacobi Patriarchae familia verosimiliter secum in Aegyptum transportauit. Haec postea Moses, et ex illis quae ad diuinam *ēmōvōmāv* ab Adamo vsque ad Eberum huiusue posteros pertinerent, Dei iussu conquirens primus extitit MSS. in Aegypto inter Israelitas obuiorum collector. Deum quoque Mosi ad discernenda scripta *Georveus* a supposititiis suppeditasse characteres sufficientes caret dubitatione.

Sequutus

Sequutus est ex parte, quisquis sit, huius opinionis auctor  
 IO. CLERICVM et RICH. SIMONIVM. Ille quidem \*) sic profes-  
 sus est: „Nemo dubitat, quin *Mundi origo* et quaecunque ge-  
 „sta narrantur ad Mosis usque parentes ab eo (Mose) scribi  
 „potuerint. Quaerunt dumtaxat eruditii, an re vera Moses  
 „haec scripserit; primus ea litteris consignarit; an vero,  
 „quae habet, ex antiquioribus monumentis, quae postea inter-  
 „ciderint, hauserit? Si primus haec scripsit Moses nunquam  
 „antea litteris mandata, oportet quae habet ei sint a Deo re-  
 „uelata; aut ab hominibus, qui ea memoriter tenerent, nar-  
 „ta, neque enim aliter ei innotescere potuerunt „ [Qualis hic  
 consensus inter LIBAVIVM et CLERICVM!] „ Nusquam autem  
 „sibi haec a Deo patesfacta dicit, neque, quamquam fieri potuit,  
 „quisquam, Mose tacente, pro comperto adsfirmare sustineat;  
 „praeter Rabbinos. — Memoria vero tot nomina, totque  
 „annorum summas, potuisse seruari vix credibile videtur.  
 „Verisimilius est Patriarchas vetustiores scriptis ea consignas-  
 „se et posteris etiam commendata reliquisse; quo factum sit,  
 „vt, cum in Mosis manus peruenissent, ea describere et cum  
 „aetatis suae historia connectere adgressus sit, „ Cum his  
 comparentur quae habet RICH. SIMONIVS\*\*) inter alia statuens:  
 „Absque

\*) in dissertat. de scriptore Pentateuchi Mose eiusque in scribendo consilio  
praemissa eiusdem commentar. in Genesin.

\*\*) in edit. lat. quae ad manus est, hist. crit. Vet. Test. lib. I. c. VII.

„Absque dubio Moses alia acta habuit, siue scripto siue viua  
 „voce in electis adeo familiis et vera religione imbutis ad  
 „ipsius usque aetatem conferuata „

Licet anonymi sententia infidias auctoritati textus sacri non struat, tamen ipsius proponendi ratio, quippe sine argumentis tantum conjecturandi, nobis se se parum commendat, neque miramur illum inuenisse aduersarium, nempe M. CHRISTIANVM STEPHANI, qui eam eodem, quo edita fuit, anno adortus est duabus disputationibus (Vitembergae cum respondentem IO. GODOFR. HAENTSCHELIO publice ventilatis) in quarum altera quaestione: *An Moses Genesin e schedis Patriarcharum collegit?* tractauit haud oblitus CAMP. VITRINGAE, ceu huius opinionis patroni\*) prae reliquis eius vestigia prementibus adseclis. Plura monuit STEPHANIVS, quae, quam ambigua sit anonymi sententia, strictim ostendunt, interim tamen ipse fatetur\*\*) fieri potuisse et fortean etiam factum esse, vt quaedam Moses per traditionem faltem oralem a patre Amramo, hic vero a suis maioribus acceperit. Sed nescio qua commotus propter hanc confessionem anxietate, restringentem addiderit notam: „at enim vero illa omnia, quae ei vel a maioribus tradita fuerunt, vel quae ipse per vitam suam conspexit at-

„que

\*) in obseruat. sacr. diff. I. l. I. c. IV.

\*\*) pag. II.

„que expertus est, non propterea et eatenus libris suis est  
 „complexus, quia et quatenus audierat vel expertus erat, sed  
 „quia ipsi Deus per immediatam reuelationem suggererat at-  
 „que dictauerat „ Itane Deus illa omnia, quae iam nouerat  
 Moses, huic per immediatam reuelationem suggestit, dictauit?  
 Neque tamen hoc frustra fecit? Neque tantum dirigentem,  
 reuelante haud necessaria, adhibuit inspirationem? Exemplum  
 profecto satis clarum, quam imprudenter saepe proferantur,  
 quae nimium gignit cautionis timidae studium!

Quodsi iam vero secundum antea relata supponitur Mo-  
 feni, diuinum historiographum creationis mundi, aliunde ipsi  
 iam nota depromisse, hoc demum quaestionem mouet proxime  
 cognatam, cuius conditionis speciatim fuerint isti fontes ex  
 quibus hausisse fertur? Respondet CLERICVS in dissertatione  
 commemorata: „Qualia porro et quot fuerint ea scripta, ii  
 „demum dixerint, qui iis temporibus viuebant, si ad vitam  
 „reuocarentur. Conieccimus nonnulla carminibus ὄμιοτελέν-  
 „ταις, qua in re sitam esse Hebraeorum poesin aliquando o-  
 „ftendemus \*) scripta fuisse — — Certe apud omnes pae-  
 „ne gentes, antiquissimarum historiarum fragmenta versibus

B

conti-

\*) Stetit promisso postea edito *commentar. in vet. Testam. prophetas ab Esaiā ad Malachiam usque*, Amstelod. MDCCXXXI, cui in calce ad-  
 nixa est, quae antea gallice prodierat, *dissertat. de poesi Ebraeorum.*

„continebantur, vt ostenderunt viri docti. Apud Hebraeos  
 „etiam tempore Mosis visitatum fuisse constat, vt magnarum  
 „rerum memoria carminibus celebraretur, quae memoriter  
 „discebantur. Vide cantica Mosis ipsius, quae extant Exod.  
 „XV. et Deut. XXXII. Quin imo ipse Deus posterius ab  
 „Israelitis addisci iussit Deut. XXXI, 29. Nec mirum videri  
 „debet Poeseos initia ad tam prisa tempora referri, cum Mu-  
 „sica ante diluuium inuentione aliquot instrumentorum exco-  
 „li coepit, vt docet Moses Gen. IV, 21. Credibile etiam  
 „est affa voce coepisse homines canere, antequam de instru-  
 „mentis musicis cogitarent. Verum vt nonnulla carminibus  
 „scripta esse potuerunt, quae longaeui Patriarchae memoria  
 „tenuerint; Chronologia tot annorum calculo constans ver-  
 „sibus includi potuisse vix videtur,,

Haecce CLERICI adserita, si vel maxime partem aliquam libri Geneseos tangunt atque respiciunt, est sane *historia creationis*, ad quam praecipue applicari possunt, quae monuit de carminibus ὡμοτελευτώις, de fragmentis historiarum antiquissimarum versibus comprehensis, de more tempore Mosis, magnarum rerum memoriam carminibus, quae didicerant, celebrandi.

Quae secundum haec data tentari potuit applicatio, hanc etiam re ipsa explicit HENNINGIVS BERNHARDVS WITTERVS,  
 quon-

quondam Pastor Hildesiensis, qui MDCCXI. edidit: *Iura Israe-*  
*litarum in palaestinam terram Chananaeam Commentatione in Ge-*  
*nesin perpetua sic demonstrata, vt idiomatis authentici nativus sen-*  
*sus fideliter detegatur, Mosis auctoris praeuea intentio sollicite de-*  
*finiatur, adeoque corpus doctrinae et iuris cum antiquissimum tum*  
*confiugatissimum tandem eruatur.* Hicce WITTERVS sua exegesi  
 ad Gen. I, 1. §. 5. obseruauit sequentia: „Creationis vero hi-  
 „storiam non tam suis, quam antiqui alicuius Poetae verbis  
 „videtur tradere Moses. Inter Hebraeos enim plurima can-  
 „tica vel poemata iam ante Pentateuchi consignationem a piis  
 „viris concinnata atque in usum sacrum de praedicandis be-  
 „neficis ac miraculis diuinis adhibita fuisse, negari nequit.  
 „Miriam mirabilem Dei potentiam in Aegyptios exertam ce-  
 „lebratura gentem suam concitat, vt cantis benevolentiam  
 „Numinis efferaat nulla singularis cantici iniecta mentione,  
 „Exod. XV, 21. Neque sane mirum, Poeseos initia ad tam  
 „prisca tempora referri, cum ipsa Musica iam ante diluvium  
 „excoli cooperit, Gen. IV, 21. Vnde poemata, cum littera-  
 „rum usu destituerentur mortales per prot. §. 11, confecerunt  
 „primum simpliciora, deinde, quo facilius memoriae manda-  
 „rentur, ομοτελευτα et rhythmica. Vid. Exod. XV, 1. Gen. III,  
 „24. VII, 11. His grauissima argumenta exprimebantur, at-  
 „que non secus ac in Hieroglyphicis siue sacris sculpturis fata

„temporum praeterlapsorum posteritati reuelabantur. E qui-  
 „bus monumentis πατρωαραδοτοις et orali traditione propa-  
 „gatis, Deo adminiculante, Pentateuchum collegit Moses.  
 „Ad quae cantica fortassis hoc quoque, quod dico, Poema,  
 „creationem mundi summatim exhibens, postea a Mose litte-  
 „ris mandatum referendum erit „ Quam sententiam ne tan-  
 tum scripsisse et oraculi instar edidisse videretur, quod sane  
 multis pristini et nostri aeui auctoribus opinionum vitio ver-  
 tendum est, rationes addidit pro stabilienda sua conjectura non  
 contempnendas, attamen omni nondum exceptione maiores,  
 quarum *prima* est: In toto creationis cantico a Mose scripto  
 nomen Dei τετραγραμμιτον, יהוה nusquam occurriere, quum  
 tamen scriptori Mosi posthac sit ordinarium: Quodsi au-  
 tam diuersum agnoueris, omnem difficultatem facile exspira-  
 re\*) Datur vero et alius difficultatis tollendae modus, de  
 quo paullo post. Obiecit sibi ipsi WITTERVS, Mosis scripturam  
 esse θεωνευσον, cuiusmodi elogium autem cantico tali, quod  
 suppo-

\*) Non possumus quin hoc loco cum hisce conuenientem notam cele-  
 berr. EICHHORNII in P. II. eiusdem *introd. in vetus Test.* §. 417. p. 298.  
 adiungamus: Im ersten Kapitel bis zum vierten Vers des zweyten  
 wird von Gott ohne Ausnahme *Elobim*; und von da wiederum bis  
 zum Ende des dritten ohne Ausnahme *Iebouah Elobim* gebraucht. Soll-  
 te wohl dieser Unterschied im Ausdruck das Werk eines blofen Zu-  
 falls feyn? oder sollte nicht vielmehr diese Verschiedenheit von der  
 Verschiedenheit der Verfaßer herrühren?

supponatur, haud posse vindicari, et respondet, valere de hoc poemate, quod de aliis in Scriptura sacra adlegatis peregrinis, 1 Cor. XV, 33. Tit. I, 12. obtinere diuinam auctoritatem ex commendatione Mosis, qui nisi quae vera deprehenderit, Deo manuducente, in sacras litteras transtulerit. Secunda ratio monet, styli diuersitatem hoc primum inter et reliqua Mosis capita euidentem animaduerti. Quam nos quoque lubentissime concedimus. Tertia vrget ratio: „Quare, quae ad secundum sextique diei historiam aperte spectant, in secundum caput demum digessisset Moses? Vid. Gen. II, 5 sqq. cum intra primum caput historiam creationis absoluerit et consummauerit, Gen. II, 1. Quae connexio, quae ratio contextus dabitur? nisi supponas ex tot grauissimis rationibus, Mosen antiquum hoc poema, quod ex aſſe non responderet intentioni, postmodum pro scopo ſuo paullulum illuſtraffe, Denique commendat WITTERVS ſuam hypothefin, qualem ipſe pronuntiat, tum ex eo quod absurdī quicquam non compleſatur, tum ex confilio Mosis probabili, quippe maluifte ab ipſo hoc cantico vel poemate exordiri, quod in omnium ore versaretur atque genti ſuae eſſet notiſſimum, quo illam ad ſedulam Pentateuchi ſui lectionem ſic inuitaret.

Praeter haec, de origine cap. I. Genes. a WITTERO in medium posita, in ipsius libro quoque alia plura liberius prolatæ occurrunt, quæ nunc repetita hinc inde legimus ac si noua essent, e. g. de lapsu protoplastorum historia ipsi est mere *symbolum bieroglyphicum* peccaminosi, in quem detrusi sint mortales, status. Hinc etiam sensum hieroglyphicum sub emblematis delitescentem subinde expiscari ac efferre studet. Ab hoc vero et aliis pluribus a nostro scopo remotis iam abstrahimus, hoc tantum adnotantes, WITTERVM adortum esse IO. HERM. AB ELSWICH obseruationibus philologicis, quas peculiari disputatione manifestauit, quibus adeo commotus est Witterus, vt Elswichium propterea edita epistola vehementer pungeret ac eadem simul fateretur, se HERM. VON DER HARDT, CLERICVM, SPENCERVVM, in primis duces sequutum esse. Tantum vero abfuit vt Elswichius iam acquiesceret, vt potius epistolam apologeticam ad Witterum prodire iuss erit, qua non solum se defendere, sed etiam suum aduersarium periculis, quod eius minitarentur opiniones, accusare annitebatur.

Haec quidem nunc sufficiant tamquam supplementa litteraria ad historiam interpretationis de origine cap. I. Genesios institutæ. Quibus tandem nostram de hac origine sententiam addere iuuat, ita quidem, vt hac vice tantum brevibus indicemus quid nobis videatur, ampliorem vero eius explicatio-

tionem et confirmationem in aliam obuenientem differamus  
opportunitatem.

Agnoscimus in narratione Mosis de condito mundo carminis antiqui habitum, ast cuius auctorem non alium praeter Mosen ipsum esse nobis persuademos, qui plura dedit suae Poeseos specimina in Pentateucho. Exire debuit populus Israelitarum ex Aegypto, vt a nisu ad idololatriam auocaretur et ad cultum purum Dei vnius sciungeretur per Mosen diuinatus excitatum. Ad hunc finem obtainendum populus ille iam ante legislationem solemnem ad montem Sinai fuit praeparandus. Cuius causa Moses creationis historiam a maioribus acceptam poemate descripsit et hoc habitu facile populum formandum edocuit de vero et vnico mundi conditore ac de cultu ipsis vnicet et praesertim die sabbati praestando. Etiam facile ad credendum inducor, hocce carmen historicum saepius a gente Israelitica per deserta proficisciente tam diebus sabbati quam aliis occasionibus festiuis solemnii cantu fuisse recitatum. Secundum hanc considerationem creationis historia carminis habitu a populo celebranda mihi videtur esse primum institutum \*) Mosis pro populo, cuius dux et legislator a Deo

\*) Forsitan iam ante populi exitum ab ipso factum. Tunc vero gens liberanda nondum fuit vsui vocabuli יהוה tamquam noui, adsuefacta, sed visitatior erat vox יהלִמְךָ. Hinc videmus, cur hanc eandem Moses in hymno populari potius viurpauerit.

a Deo fuit constitutus. Idcirco etiam cum historia huius populi historia creationis ex commemorata causa propinquam habet coniunctionem atque ita facile perspicitur, cur Moses hoc a se pro natione Israelitica compositum carmen historicum suae eiusdem gentis historiae praefixerit.



**I**am vero vt TE, *Vir meritissime*, peculiari demum praeconio salutem, monet rara felicitas, quam Deus, optimus maximus, TIBI concessit, vrget laetitia, qua perfundor, inefabilis, incitatque mei animi venerabundi pietas sincerissima. TE, *Vir praestantissime*, miror, exemplum diuinae prouidentiae prae multis eximium. Inter tot tantaque studia, quibus vires suas intendere ac defatigare homines oportet eruditos — inter tot molestias, tot pericula, quibus obnoxii sunt, qui artem salutarem exercent — inter tot onera vitae academicae — inter tam multi generis amara, quibus abundant vita humana — tamen vitam transigere longaeuam, qualis paucissimis contingere nouimus, et quidem viribus animi corporisque adhue integris habituque non humili ac marcescente,

te,

te, sed potius erecto atque iuuenili; sane hoc Dei beneficium est plane singulare! Et vt paucis omnia complectar, Professor quinquagenarius isque iam octoginta natus annos, sed tamquam vir iuuenis incedens suaque quaecunque negotia experdiens quot habebit, qui hisce illum aequiparare queant? Tale raritatis maxima exemplum admirabile TE, *Vir fortunatissime*, vere animaduerti, quis est inter nos, qui non fateatur? Quis esset, nisi ab omni humanitatis sensu alienus, quin TIBI propterea iubenter gratuletur tabulamque votiuam suspendat?

Quam iucundissimo Iaetitiae sensu fors TVA faustissima me compleat, iam TIBI ex nostra patet familiaritate, idque facile credent, qui sciunt, quanta cum veneratione TIBI sim deditus. Sed vt alii plures sciant, et vt memoria erga TE mei candoris perceptique gaudii ob TVAM salutem huiusque festiuum monumentum longius duret; prodeant ex pectore laetabundo intima religionis sensa: Summa laus sit et maxima gloria optimo rerum omnium moderatori, qui TIBI, *Vir meritissime*, haec iubila fecit, qui TE — suum a iuuentute cultorem, salutari miserorum amore flagrantem,

C

dignum

dignum piusque filium b. I. C. WEISSII, memoria meritorum in rem scholasticam atque sacram Curiae Variscorum ad hoc florentis — ita suo numine iuuit, ut ceremoniam, qua ante quinquaginta annos manus Professoris medici ordinarii auspiciatus es, iam repetere possis, annis quidem et longa experientia, neutiquam vero animi corporisque vigore mutatus ab illo. Quanto cum gaudio TE videbo cathedram publicam condescendentem, quanta cum voluptate TE auditurus sum solemnni oratione declamantem, ac patri caelesti, ob maxima suae erga TE benignitatis specimina, grates, laudes, nota TVA eloquentia, dicentem! Tunc etiam vota mea, quibus meum iam incalescit peccatum, nouo cum ardore ad Deum ter optimum dirigam: Diu viuat, valeatque amplius, venerabilis Senex! Per multos annos nostram aequa ac omnem litterarum vniuersitatem ornare, suae familiae, meis mihiique ipsi solatio esse iumentum, beat Deus MERITISSIMVM WEISSIVM!




30.12.99



3

f

SB



# Farbkarte #13



DE ORIGINE  
 TIONIS, QVAM MOSES DEDIT  
 NES EXHIBET SELECTAS

---

AC SIMVL  
 VIRO  
 IMO ET EXCELLENTISSIMO  
 OMINO  
**I NICOLAO**  
**EISSIO**  
 ORI MEDICO PRIMARIO  
 UNIVERSITATE ALTORFINA  
 EIVSDEMQUE  
**N I O R I**  
 NGE MERITISSIMO  
 T ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM SOCIO  
 SVO VENERABILI  
 PROFESSORIS ORDINARII  
 EDICORVM ORDINE ALTORFINO  
 PER  
 S QVINQVAGINTA  
 LICITER GESTVM  
 OCTOBR. cI oCCLXXXII  
 INI RITV LAETANTI  
 IE GRATVLATVR  
**E S ANDREAS SIXTVS**  
 BL. ORD. ECCLES. ALTORF. ARCHIDIAC.  
 FICINA I. A. HESSELII, ACAD. TYPOGR.

S. R. D. D. Grie  
 Conf. eet